DISSRETATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

VANO PRAEMATVRAE SEPVLTVRAE METV

QVAM

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

CAROLO AVGVSTO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE ET GVESTPHALIAE LANDGRAVIO THVRINGIAE REL.

CONSENSV GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS

PRAESIDE

D. CHRISTIANO GOTHFRIDO GRVNERO

SERENISS. DVC. SAXO-COBVRGENS. ET SALFELDENS. A CONSIL. AVLAE SANCTIORIBVS ET ARCHIATRO SERENISS. DVC. SAXO-VINAR. ET ISENAC. A CONSIL. AVL. BOT. ET THEORET. PROF. PVBL. ORDINAR. FACVLT MED. ASSESS. ET H. T. DECANO ACAD. CAES. NAT. CVRIOS. REG. FLORENTINAE AVREL. DIVIONENS. LVGD. ET ELECT. MOGVNT. SCIENT. VTIL. SOCIET. MED. ET AGRAR. PARIS. MED. LONDIN. DVCAL. LAT. IENENS. ACAD. PRINCIPAL. HASS. ET OECON. BAVAR. BVRGHVS FLESSING. HAARLEM. ROTTEROD. RHENO-TRAIECT. ET MOSQVENS. EXCOL. LITT. ROSSIC. HELVET. CHIR. MED. COLLEG. MED. NANCEIANI SODALI

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN MEDICINA ET CHIRVRGIA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS RITE CONSEQVENDIS

A. D. XXI. FEBRVARII CIↃIↃCCLXXXXIII.

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

IVLIVS CHRISTOPHORVS REINHARDT

ERFORDIENSIS.

IENAE,

EX OFFICINA FIEDLERIANA.

Quam dissertationem elaborandam Tibi sponte sumsisti, mihique ex instituto maiorum inspiciendam tradidisti, eam Tibi lubens reddo, eiusque defensionem a sententia criticorum ad Te ipsum pertinere puto.

D. C. G. Gruner
Fac. med. h. t. Decan.

PRAEFATIO

Oriri et interire, increſcere et decreſcere, ſe inuicem excipiunt ſecundum leges immutabiles a natura ſancitas. Hoc eſt commune rerum creatarum fatum. Sed naturam, optimam bene beateque viuendi ducem, proh dolor! perpauci homines ſequuntur atque imitantur, abrepti vel malo inſtinctu, vel exemplo. Atqui vero culpa huius rei non inſidet in ſingulis, ſed quum multa et mentis vitia, et delicta hominibus recepta conſuetudo conciliet, hoc illis natura ipſa velut ingenerauit, vt viam ſibi monſtratam ingredi nequeant, niſi inuiti ſocietatem hominum relinquere velint et cum Diogene in dolio habitare, vel eremitarum more deſerta loca quaerere. Atque in quaeſtione de valetu-

dine cuiuspiam hominis tuenda et conseruanda in censum quoque venit corporis constitutio parentum: Saepe enim filius sustinet atque luit culpam eorum, a quibus procreatus atque natus est. Interim in his etiam malis necesse est tempori cedere h. e. necessitati parere, et quomodo cunque per rerum conditionem fieri possit, se expedire.

Nostram videlicet aetatem distinguit quaedam mollities et affectata morum elegantia. Nos quidem, si famae fides est, longe antecellimus maioribus prudentia et doctrina, humanitate, misericordia et quadam animi sensibilitati, quae nos impellat et tantum non rapiat ad fugienda corporis mala, ad propulsanda sanitatis vitaeque pericula, ad procurandam ciuium salutem. Ecquis vero hoc negat? Sed iidem iisdem de causis pluribus quoque morborum generibus vrgemur, et sumus foris percuriosi ac mites, domi negligentes et incuriosi.

Quam ob rem venia etiam danda sit Cl. ROVSSEAV, qui, liene laborans et ex praecordiis aeger, auctor nobis erat, vt sub dio vitam transigeremus, et glandibus vesceremur. Quodsi homines ingenio praestantes iis dotibus, quibus a benigniori natura instructi sunt, in

com-

commodum sui et aliorum semper et vbiuis vterentur, etiam meliore corporis habitu corporisque viribus integris essent. Tales vero hominum amici sunt ex numero auium albarum. Multi habent in ore amorem salutemque populi, quos si penitius noris et facta inspicias, non poteris non cane peius ac angue fugere. Dulcia verba canunt, venenum intus in animo gerunt reconditum. Quotus enim quisque vtilitatem communem suae vtilitati anteponit, et patriam ita amat, vt omnibus et singulis bene esse cupiat? Cui ita affecto, quoties e re sua est, non ducitur religioni, innocenti socio iniuriam quamuis inferre et vel vitam ipsam eripere, hunc nigrum esse iudicato. Similiter doleo et ingemisco communem agendi rationem cum aegris, moribundis et mortuis. Nam si actum esse de vita aegri videtur, quam primum fieri potest, ecclesiasten amici arcessunt, ne cum corpore animus pereat. Quo facto, officio suo praeclare functi esse sibi videntur.

Hac autem cura quam male saluti moribundi amici consulant, declarauit non modo exemplum *Dr. P. Ingolstadiensis*, sed etiam quiuis medicus pluribus huiusmodi exemplis adductis facile testabitur. Si soli oculi squalidi et splendore suo priuati, nec longius ad visum apti sufficiunt, vt aliquem pro conclamato habeas, hic

mos vbique terrarum receptus me quidem non offenderet, quia in his vtplurimum mors certa et indubitata esse solet. At vero idem haud raro contingit, oculis fulgentibus et vegetis. Tunc crudelis amicorum misericordia, me quidem iudice, putanda est.

Quodsi curate adtendimus, qua via natura in educendo homine ex hominum frequentia ingreditur, duplicem quidem eam esse animaduertimus; Et enim hunc celerius et vno velut ictu conficit, illum vero longa et falsa spe laetat, sed denique praeter eius aliorumque opinionem a vitae statione, qua eum collocarat, auocat. Sunt vero etiam, qui decedere ante tempus suum coguntur non culpa medici, sed aliorum errore et ipsorum amicorum incuria ac imprudentia.

Iam adspectus illius ducis, qui decumbenti viam ad astra monstratum venit, (plerumque non est is, qui pro rei dignitate esse debet,) animum miseri non satis ad mortem oppetendam parati perturbando, augendo et in terrorem coniiciendo morbum in modum tam horribilem augere potest, vt homini, qui aliorum casu et miseriis adficitur, cor disrumpatur. Dolent medici, dolent hominum amici, quod nos praesumtis opinionibus ac erroribus perniciosis, quos cum lacte nutricis

cis suximus, tam tenaciter adhaerescamus, vt ab iis nullis rationibus vel argumentis et persuasionibus auocari possimus. Est incredibile, attamen verum, sunt homines, qui ex suorum paruis incommodis magnam animi capiunt molestiam, qui eos, quos in vita carissimos habebant, in morte desertos et conclamatos esse patiuntur, ita quidem, vt eos ne adspicere quidem amplius et velint, et possint, idque ob ipsam illam admirandam, qua eos complectuntur, caritatem. O malam caritatem! O peruersam et infandam misericordiam, quae sine aliorum iniuria esse non potest! Qua tamen si qui sint infecti, conducant (opto) alios, qui aegrotantem diligenter curent, neque eum ante tempus naturae e viuis discedere permittant, caueantque quam maxime et foeminas funus componentes, et heredes, auidum et immisericors hominum genus. Non quisquam illico pro mortuo habendus est, qui morti proximus vel addictus esse videtur aut creditur. Huic enim cum somno summa intercedit affinitas, (hinc veteres vtrumque fratres esse dixerunt) ideoque in casu dubio differendum funus puto, ne, si quando intus vita dubia glifcat, eum occidisse perhibeamur, quem seruare forte poteramus. Iubet istam pietatem in moribundos humanitas, cogit lymphaticus ciuium metus,

metus, vt, quam vanus ille plurimis in casibus sit, candide profiteamur. Moritur quisque suo fato, modo naturam ducem et indicem sequamur, neque temere ac praecipitanter dimittamus iuuandi occasionem. Pereunt miseri nostris peccatis. Quomodo id fiat, et qua ratione omnium optime caueri possit, iam dispiciamus sine ira et partium studio.

Sectio I.

SIGNORVM MORTIS EXPLORATIO.

§. 1.

Vita.

Hominem non eſſe inanimem ſtatuam, ſed intus latere animum, quo viuat ac ſpiret, item habeat ſuos impetus et rerum adpetitus, vtaturque ratione, plurima extra omnem dubitationem collocant. Quicunque ex hominum genere eſt, habet ſuas vires inſitas, ſentit, moueturque ſuo arbitratu, omnes partes, ex quibus conſtat, funguntur ſuis muneribus ſibi a natura demandatis. Cor, primum viuens et vltimum moriens, agitatur ſuis motibus, ſanguis, ille ros vitalis, continuo et perpetim per arterias et venas fluit, pectus tollitur in ſublime, pulmones aerem attrahunt ac viciſſim propellunt, nerui, quae ſibi extrinſecus contingunt, accipiunt, et ad cerebrum vsque perducunt. Haec de corpore. — Mens vero hominis nunquam quieſcit, ſed diſcendo alitur et fouetur, et co-

gitando ſemper aliquid aut inquirit, aut agit, videndi et audiendi delectatione ducitur, nec eſt vllum tempus, quo non exerceat ſuum in corpus imperium. Hinc ſenſus et externi, et interni operantur conuenienter naturae, ſecretiones et excretiones ſuum quaeque tenent ordinem. Quid multa? Omnia munia fiunt modo naturae corporis conſentaneo, quia ineſt in nobis aliqua occulta vis, vnde vita pendet. Hanc ex effectu et rebus ſenſus ferientibus aeſtimare licet, a priori, quod aiunt, minime.

§. 2.

Mors.

Quo longius a perfectione ac integritate abſunt, quae antea commemorauimus, corporis officia, eo maiori periculo ſubiecta eſt hominis vita, et vbi illa penitus ceſſant, nec irritamento vel externo, vel interno amplius reſtaurari poſſunt, ſequitur mors ineuitabilis. Ad hanc autem perducitur homo variis cauſis, quarum prima eſt ipſa natura, quae longius viuendi ſpatium homini concedere noluit, altera eſt morbus, cui fere quiuis homo obnoxius eſt, tertia continetur caſu fortuito ſeu morte repentina. Quocirca cum Perill. Grvnero *) triplicem mortem, naturalem ſeu ſenilem, deinde praeternaturalem ſeu morboſam, tandem violentam ſtatuere haud alienum a re putamus. Quaelibet vero mors ſua habet ſigna, eaque non vnius generis, partim communia, partim propria.

*) Semiotice pag. 634.

pria. Alia enim mortem certam indicant, alia dubiam, quae omnino recensere longius esset, quare nos hic breuitati *) studentes tantum potiora, nec fallentia commemorare statuimus. Sunt itaque

§. 3.

Signa mortis certa.

1) Pulsus deficiens in perpetuum.

2) Respiratio cessans.

3) Oculorum mutatio emortualis.

4) Sensuum externorum et internorum abolitio.

5) Frigus et rigor.

6) Color luridus et maculae liuidae.

7) Putredo eiusque sequelae.

Signa mortis dubia.

1) Os patulum et oculi patuli.

2) Sanguinis fluor ex arteria vel vena nullus.

3) Rubor oris vel calor.

4) Flexibilitas membrorum.

5) Spuma oris.

6) Relaxatio sphincterum.

*) Cf. de his Perill. *Gruneri* r. *Steinfeld* Diss. de signis mortis diagnosticis dubiis caute admittendis et reprobandis, Ien. 1788.

§. 4.

Valor horum ſignorum.

Semiologiae ſanioris primum rectiſſimumque eſt praeceptum, nullum ſignum cuiuspiam rei, quae plura requirit, vt ſit omni exceptione maior, ſeorſim ſpectatum certum eſſe, at vero omnibus reliquis ſuperaccedentibus, aliisque alia ſuo ordine ſequentibus, ita, vt nullum deſit, horum ſignorum quodlibet indubium eſſe et nunquam fallax. Quod praeceptum in praeſenti quoque negotio tenendum eſſe cenſeo.

Putredinem omnium mortis ſignorum eſſe et vltimum, et certiſſimum, ipſe credo. Nunquam vero hoc ſignum adeſſe ſolet et poteſt, niſi reliqua a nobis commemorata anteceſſerint. Illius itaque neceſſitas horum valorem non tollit, ſed confirmat. Videamus ergo de ſingulis.

Pulſus et *reſpiratio*. Quae duo ad retinendam vitam et valetudinem ita ſunt neceſſaria, vt ſine eorum ope nemo frui vita et communi ſpiritu queat. Aliquantiſper abeſſe velutique quieſcere poſſunt, ideo que non omnis ſpes viuendi eſt illico ſublata, ſi quam minima eius ſuſpicio ſuperſit. Id quod comprobant exempla ſuffocatorum et aſphyxia laborantium. Quodſi vero haec ſigna comitantur reliqua, omniaque prudentis medici molimina fruſtrantur, tunc euincunt certitudinem mortis.

Ocu-

Oculorum mutatio emortualis, quae vulgo *Brechen der Augen* vocatur, eſt res magni momenti, neque vero putanda eſt ſola oculorum obnubilatio atque caligo, ſed obſcuratio foeda et collapſus tunicae corneae, quippe quae haud facile in iis accidunt, quibus adhuc ineſt vis vitalis.

Defectus omnium ſenſuum internorum et externorum, genitus a grauibus morbis, e quibus pauci admodum reſurgunt, aſſociatis reliquis ſignis, eſt nuntius mortis certiſſimus. Auditus ſub veteribus ac recentioribus auctoribus omnium longiſſime exſtare dicitur. Nihilominus tamen natura et huic ſenſui modum ſuum et finem ſtatuit, atque illud, ſi quando incidit, procul dubio in feminis hyſtericis ſyncopticis et vi morborum ſpaſticorum oppreſſis obtinuit.

Frigus et *rigor corporis perpetuus*. Animaduertitur quidem aliquis rigor in multis morbis ſubitaneis, in ſpasmis, in hominibus, quos caſus fortuitus occidit, in iis, qui frigore perierunt aut aquis ſubmerſi ſunt, ſed is fere ſubitus eſt et longe diſſimilis frigori, quod vere mortuos tenet. Illud medicus in ſua arte exercitatum iam quidem peculiaris digitorum tactus et iudicium docet: Rigor emortualis totum corpus occupat, ſpaſticus tantum partes, ſic, vt muſculi oppoſiti aut antagoniſtae flexibiles maneant.

Color luridus et *maculae liuidae*, ſi ratio ſtatus aegri antecedentis habetur, ſunt ex iis ſignis, in quibus magnum momentum poſitum eſt, neque ab oculo exercitato non

 animad-

animaduertuntur. Adhibenda autem nobis magna cautio et attentio eſt, ne has mortuorum maculas confundamus cum iis, quas externa vel interna violentia, ſugillatio, ſcorbutus, peticulae etc. produxerant. PERILL. BALDINGERVS refert rem permiram quidem, at veram tamen, quendam videlicet aegrum, cuius hypochondria iam viridia videbantur, euaſiſſe. Hic enim color erat ſequela morbi praegreſſi, nota mortis minime.

Putredinem eiusque effectus manifeſtat odor, qui a quouis vel indocto facile dignoſci ab quouis alio poteſt. Quare illius principium nomine odoris cadaueroſi (Leichengeruch) comprehendi ſolet. Ceterum hic magna cautione opus eſt, ne ſpecificus odor cum odoribus affinibus, quos putrida vlcera, ſphacelus et gangraena etc. ſpargunt, temere confundatur.

Haec dicta ſint *de ſignis mortis certis.* Ad *dubia* vero quod attinet, nec haec quidem omnino contemnenda ſunt, ſi reſpondent cetera. Recte autem de illis iudicatur non, niſi ex modo morbi praegreſſi. Atque primas mereri videntur *hiatus oris* et *relaxatio ſphincterum.*

§. 5.

Haec ſigna, ſi vel alia antegreſſa ſigna mala ſequuntur, vel apparent in homine ſenectute confecto, tunc in dubio vita eſt et fatum adeſſe conſtat *). Quod enim pari

*) v. *Gruners* Almanach für Aerzte u. Nichtärzte 1790. p. 192 — 93.

pari ſucceſſu nonageſies euenit, id etiam in centeſimo aequaliter euenturum eſſe cum ratione ſtatuitur.

Longe autem alia eſt ratio *mortis violentae*, ſiue ſenes impetat, ſiue iuuenes, niſi quod hi maiore teneantur reſuſcitandi ſpe. In hoc illa ſucceſſiua virium diminutio et reſolutio humorum non antecefferant, corpus igitur adhuc aptum cenſeas ad mandata animi et neruorum exequenda h. e. vita erat paullum intercepta velutique ſecluſa, ſed non deleta omnino.

Hoc in caſu ars noſtra animum et ſtudium intendit, et prae omnibus aliis diſciplinis victoriam reportauit. Hic vicerunt opes et praeſidia Aeſculapii naturam ipſam. Hic Hygea filio Hippocratis porrigit manum diuinam et medicam, qua ſi ſciat bene vti, vel ipſam Eurydicen ab orco reuocare audebit.

Nos itaque, amici, eam artem profitentes, a qua ſalus et vita hominum pendet, ſummam in iudicando adhibeamus prudentiam et obſeruantiam, ne eos, qui mortui videntur, viuos ſepeliri ſinamus, ſed etiam mortuos in numero fratrum habeamus. Exempla perluctuoſa, quae apud Plinivm, Celsvm, Winslow, Lovis, Bryhier, Plaz, Campervm, Brincmannvm, Camerarivm, Herz, Marx aliosque auctores legimus, iam diu principes aeque ac medicos attentos reddere debuiſſent. Sed proh dolor! Principes occupationibus aliis implicati ſunt, medici vero in extremo actu fabulae fugam capeſſunt,

et

et forſitan de ſignis mortis ne laborant quidem, ſaepe ne cogitarunt quidem. Omnis enim eorum labor eo reſpicit, vt morbos curent. — Praxis et pecunia primum quaerenda eſt, virtus poſt numos, clamant diſcipuli faſtuoſi, et mortuos imprudenter ablegant ad alterum mundum, vnde nullus datur reditus, nec querela inofficioſi medici. Haec tamen damnoſa incuria rei tam neceſſariae non omnes terras infecit. Maximum exemplum eſt prouidentiae a SERENISSIMO DVCE VINARIENSI Illiusque ſubditis Vinariae conſtitutum: Sed paucis ciuitatibus contigit talis illuminatio, quali hic ducatus gaudet! —

§. 6.

Attamen ego, licet vnus ex nouitiis in arte medica, in ſolatium miſerorum mortalium confirmare poſſum, pauciſſimis eiusmodi triſtium relationum, etſi mala habeatur vbique terrarum politia, eſſe habendam fidem. Plurimae non modo ſanae rationi, ſed etiam ſibi ipſi contradicunt. In multis fides ſit penes auctorem. Fama creſcit eundo, metus multiplicat fabulas, perſuaſio auget ſomnia. Plurimi caſus *Pariſiis* accidiſſe feruntur. Atqui in hac vrbe, vbi perfunctus fato intra viginti quatuor horas ſepulturae traditur, vbi tanta hominum multitudo noſocomio ineſt, quod a deo habebat nomen, (quale nunc ſit, equidem ignoro) vt quatuor aegri in vno lecto decumbant, et locum modo vacuum iam alius deſideret, plures ad mortem non maturos mortis adire iter aut etiam viuos ſepeliri nullus dubito. Magnarum vr-

bium

bium ciues ho quam maxime agerent, vt de morte certi essent, minor metus est in municipiis et villis, in quibus etiamnum latet dei reuerentia, parentum filiorumque amor et pietas mutua, mortuorum cura.

§. 7.

Plerisque autem harum relationum mirificarum, quae habenda sit fides, declarant sequentia. BRVHIER *) refert, quandam foeminam iam septem hebdomadas sub aqua moratam in vitam rediisse. Credat, quicunque voluerit. — Matrona honestissima, RVSSEL, post septem demum dies ad campanarum sonitum expergefactam esse inficias ire nolim, cum etiamnum inter medicos non constet, quamdiu syncope, asphyxia et ecstasis durare queant.

Quod vero de imperatore ZENONE narratur, meum captum transcendere non diffiteor. Hic scilicet in templo sepultus caput feretro illisisse et exclamasse dicitur. Quo enim pacto fieri possit, vt homo, quem tegit lapis quadratus immensae molis, in cubili, vbi omnes rimae bene superlitae sunt, in ferculo, vbi omnia ferruminata et satis conclusa esse solent, vocem edere possit, id quidem fateor me scire iuxta cum ignarissimis. Sine respirabilis aeris aditu clamor est impossibilis.

§. 8.

*) Von der Ungewißheit der Kennzeichen des Todes, übersetzt v. *Ianke* p. 287.

In plerisque Germaniae partibus est mos, demortuos, praeterlapsis septuaginta duabus horis, vbi putredo iam adparet, humo mandandi. Hoc etsi per se est laudabile atque strenue obseruandum, tamen prouideri et illud debet, ne moribundi superstitiosis mulieribus inconsulto committantur, quae vix exanimatos e lecto tollunt, iisque omnem aperturam negant, os ligaculo firmiter adstringunt ac obstruunt, eos frigido aeri exponunt atque asseri adligant, ne forte lectus a cadauere polluatur scilicet. Hoc fugiendum et damnandum est, hac cura sola nos saluti fratrum melius consuleremus, quam Galli. Rarissime quidem apud nos contingit, vt viui sepeliantur, (eatenus vanus metus est, qui nuperrime plures inuasit) sed si imprudenti tractatione mactantur, quibus natura longius viuendi spatium concesserat, tunc eadem sors putanda est. Exemplum memoria dignum attulit EXCELL. HVFELAND *) de Dr. P. Ingolstadiensi, qui catalepsi laborabat: (id quod inde intelligitur, quod maxilla eius inferior nulla vi sursum premi et adduci poterat.) Omnia, quae cominus accidebant, audiebat, nec tamen signum vitae edere poterat.

§. 8.

In hac cura necessaria nostrisque amicis morte ereptis debita superat nos Iudaeorum **) gens, quae in omnibus reliquis nobis longe inferior esse vulgo creditur.

Apud

*) Ueber die Ungewissheit des Todes. Weimar 1791.

**) v. Marx über die Beerdigung der Iuden. p. 14 — 15.

Apud hos moris et legis eſt, vt omnibus animam agentibus praeſto ſit is, cuius eſt mortuos inſpicere, hos vero non illico, vt a chriſtianis fieri ſolet, poſt extremum ſpiritum e lecto tollunt, non conſtringunt os, in corpore exanimato faciunt varia explorandae vitae pericula. In his prima ſunt digitorum pedum vnguiumque mundatio et frigida aqua, qua mortuus perfunditur. Haec quidem ſpernenda omnino non ſunt, ſed quatuor horarum ſpatium non ſatis eſt ad probanda experimenta, in quibus ſalus hominum vnice ſita eſt.

Quare magnus ille hominum ciuiumque amicus, Iosephvs II. cuius morte immatura quiuis φιλάνθρωπος etiamnum contriſtatur, dignus eſt, qui ſummis efferatur laudibus, quod humationem celeriorem, ac fas eſt et pietas viuentium iubet, ſub poena mortis vetuerit.

Sectio II.

MAGISTRATVS CVRA CIRCA MORTVOS.

§. 9.

Princeps ſi ſalutem populi ſibi commiſſi ſerio intendit, eumque ab iſto ſepulturae metu liberare cupit, edat de prudenter et pie tractandis mortuis mandata clara, perſpicua et ſeuera, proſpiciat ſedulo, vt ii, quorum

curae mortui demandati ſunt, ad ſuum officium recte inſtituantur, neque concedat, vt aliquis ſepulturae tradatur, niſi miniſtro eccleſiae teſtimonium exhibitum ſit, quod medicus vel alius, cui hoc muneris eſt, demortuum inſpexerit. Quiſi, ratione morbi habita, mortem dubiam pronuntiet, apta adhibeantur praeſidia et remedia, donec dilata humatio omnia dubia tollat. Viuis autem mortuorum ſocietatem fugientibus optabile eſt, vt exſtruantur domus, quas nemo praeter mortuos et cuſtodem incolat. Excell. Hvfeland *) talem deſcripſit et commendauit ſedulo. Ego vero ei lubens quidem aſſentior, ſi de vtilitate quaeritur, hoc tantum addo, mihi ſatius videri, vt, ſi ſolemnia funebria manere oporteat, defuncti non in feretro, ſed alio apto modo efferantur, quia et imprudentia feretrum portantium, et frigus, cui humandus exponitur, hoc ſalutare conſilium facile impedire poſſet et ſucceſſum irritum facere. Ante vero, quam illud tempus optatum, quo conſilium tam bonum a principibus et magiſtratibus adprobatur et ad effectum perducitur, (hic enim ſumtuum habenda ratio primum eſt, deinde hominum) in quauis domo tantum fore putauerim ſpatii, quod miſerum ex ſocietate viuorum hominum ſublatum capiat, quod per hiemem calefieri poſſit, ita tamen, vt exanimati ne odor quidem nares viuorum laederet. Damnum haec res, exceptis morbis contagioſis nullum viuentibus adferret: Tunc vero nulla rei incertitudo locum habet. Nonne quotidie putreſcunt corpora intra moenia et domos, et vapo-

*) L. cit.

vapores in aerem expanduntur pessimi sine sensibili sanitatis noxa? Populus Otaheitensis *) funera sua non sepelit, et nihilosecius optima valetudine vtitur.

§. 10.

Atqui, quod huic nostro consilio vere obstaret, equidem video nihil. Nec sumtus sunt adeo metuendi: Nihil enim fere, nisi studium et opera requiritur, quae neque pauperibus deest. Et quae per optatum successum fieri oportet, ea omnia vbicunque locorum fieri possunt, in agris non minus, quam in vrbe. Villici quamquam carent medicis, habent tamen suos concionatores; Quos et et signa mortis, et cuiuis medico cognita remedia vim suscitandi habentia, et quas haec res habet cautiones, docere facile est. Quo facto, hi viri reipublicae ciuem morte opinata ereptum, tanquam e mortuis suscitatum, restituentes non minorem atque, nescio, an maiorem afferrent vtilitatem, quam si eundem in alterum mundum pro stolae iuribus deducerent, et in hunc quidem maximum beneficium conferrent.

§. 11.

Ad vim vitalem latentem resuscitationemque brutorum, volatilium ac reptilium a Cl. Leidenfrost et Fontana traditam quod attinet, inde nihil aliud colligi posse videtur, nisi quod haec animalia alia habeant orga-

*) *Hufeland* l. c.

na, vnde diuerſitas virium vitalium atque reſuſcitatio horum etiam ſuis circumſcripta eſt terminis. In animalibus nobis ſimilibus eiusmodi caſus non deprehendimus. Quae vero vis vitalis proprie ſit, indagari quidem a nobis homunculis non certo poteſt, illius autem ſedem cor, cauſam efficientem vitae humanae, ſtatuere, eſt communis phyſiologorum ſententia. Quae ſi vera eſt, nos vi neruorum percipere et ſentire, et alias quoque partes corporis neruos non ignobiliores tueri, vt oculos, ſcorbiculum cordis, genitalia, mihi quidem non tam firmis argumentis niti videtur, vt extra omnem dubitationis aleam poſita ſit. Hoc vnum certum eſt, omnia explorandorum et ſuſcitandorum hominum praeſidia intra ſtimulos contineri, quibus, tanquam quodam calcare addito, inſcii et inuiti coguntur eo redire, vnde exiiſſe videbantur, et continuare vitam, quam poſuiſſe omnino credebantur. Gratum eſt, ſuo die mori, gratius ciuem ſeruaſſe atque e mortis faucibus eripuiſſe, gratiſſimum denique neminem in poſterum poſſe iſto metu excruciari.

THESES

I.

Mercurius ſublimatus corroſiuus non eſt bonum ac ſecurum remedium internum.

II.

Omnes iniectiones in primo et ſecundo gonorrhoeae virulentae ſtadio nocent.

III.

Inſitionem variolarum ſuadent ratio et ſalus publica.

IV.

IV.

Caussa frequentissima fluoris albi est masturpatio.

V.

Vsus vesicantium non semper reiiciendus est in morbis putridis.

VI.

Opium non impedit exscreationem in phthisi pulmonali, sed iuuat.

VII.

Pathologia humoralis non prorsum reiicienda est.